

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 10;  
ubique extra Italiam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7 1/2.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis  
Lib. 0.50 pro *unoquoque centimetro quadrato*.

*Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem*

ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA

## Subnotatio fieri potest:

<b>IN ITALIA</b> Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC. ROMAE, Via Santa Chiara, 20-21.	<b>IN ANGLIA</b> Apud BURNS AND OATES LONDON W. — 28, Orchard Street.	<b>IN CIVITATIBUS FOEDERATIS AMERICAE SEPTENT.</b> Apud COMMISSARIAT OF THE HOLY LAND. NEW YORK, 143 w 95th St.	<b>IN CANADA ET NEWFOUNDLAND</b> NEW YORK (U. S. Americ.), 143 w 95th St.
<b>IN BELGICA</b> Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC. BRUXELLES, Rue de la Montagne, 52.	<b>LUGDUNI</b> Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC. Rue Victor Hugo, 5	<b>IN GALLIA</b> LUTETIAE PARIISIORUM LIBRAIRIE VIC ET AMAT CHARLES AMAT SUCC. Rue Cassette, 11.	<b>IN HUNGARIA</b> Apud C. B. LIPTAY, CORRESP. DE HONGRIE BUDAPEST, Palais du Théâtre National.
		<b>INSULIS (LILLE)</b> Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC. Rue de Metz, 41.	

## RERUM INDEX

AD VIRGINEM DEIPARAM UT LEONI XIII PONT. MAX. ANNUM NONAGESIMUM EXPLENTI DIUTURNAM IMPETRET INCOLUMITATEM . . . . .	F. X. Reuss.
DE LIBRO AB HERMA CONSCRIPTO CUI TITULUS "PASTOR," . . . . .	F. Card. Segna.
DE LINGVAE LATINAE NATURA AC PROPRIETATE . . . . .	P. Rasi.
NOTAE APUD MAIORES SACRAE. . . . .	A. Costaggini.
IOANNES RUSKIN . . . . .	I. Antonelli.
NOTITIAE LITTERARUM ET ARTIUM — De anno et loco in quo natus est sanctus Thomas vulgo Aquinas . . . . .	T. Paci.
PROTRAHENDAE VITAE PRAECEPTA . . . . .	R. Spina.
PERSEUS ET PUGILES AB ANTONIO CANOVA INSCULPTI . . . . .	Laelius.
DE CASU AD RES REPERIENDAS HOMINI UTILES . . . . .	Hersilus.
LOLLIUS SIVE DE PROVECTA LATINITATE . . . . .	P. Angelini.
COMMUNIA VITAE — Nonnulla quae ad convivium . . . . .	H. D. V. Peralice.
QUAESITIS RESPONSO — I. De latini eloquii pronuntiatione . . . . .	A. Sordet.
II. De nomine telegrapho filii experti imponendo . . . . .	J. Tasset.
ANNALES . . . . .	Poplicola.
PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS . . . . .	Scriba.
AENIGMATA . . . . .	Digamma.
<i>In tertia operculi pagina:</i>	
PER ORBEM . . . . .	Viator.
VARIA: Conditiones pro Iubilaeo Maiori seu Anni Sancti versiculis con- tentae memoriae iuvandae gratia . . . . .	I. B.
Sublimis Porta — Ioci. . . . .	P. d. V.

ROMAE

EX OFFICINA FORZANI ET SOCI

M DCCC

# PROSPECTUS SUBNOTATIONIS

## Commentarii VOX URBIS anno MCM

Pretium annuae subnotationis est: in Italia Lib. 10;  
ubique extra Italiam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7 <sup>1</sup>/<sub>2</sub>.  
recto tramite mittendum  
ad **Aristidem Leonori** equitem, commentarii ipsius possessorem et administratorem  
**ROMA - Via Alessandrina, 87**

### PRAEMIA SOCIIS CONSTITUTA

Inter eos omnes, qui die XV mensis Martii MDCCCC inter commentarii socios numerentur, sorti committetur sacro Paschatis Resurrectionis die eiusdem anni

### Theca Aurea Pulveri Nicotiano Asservando

qua SS. Dominus PIUS Papa IX f. r. utebatur, prouti ex luculento constat in scriptis testimonio

Qui primum nunc nomen dederint, pretiumque subnotationis solverint uti supra, *Vox Urbis* commentarium accipient a Kalendis Ianuariis usque ad expletum annum MDCCCC, iisque donum erit

### URBIS A IANICULO MONTE PROSPECTUS

late magnus (m. 1.10 X 0.24) et visu decorus.

Sociis qui subnotationem renovabunt dono dabitur *ubi primum in promptu erit*

### LIBER (vulgo "Album,") PRAECIPUA URBIS REFERENS

pulcritudine insignis atque, commentarii moderatore iubente, expresse conflatus.

Denique illis inter socios, et recentes et veteres, qui tres in Italia, vel binas ubique extra Italiam subnotationes novas comparaverint, earumque annum pretium recto tramite miserint ad commentarii administratorem, optio erit unius ex his XXXIII quae sequuntur, quod gratuito pariter habebunt:

- |  |  |
|--|--|
| I. . . . Aristotelis De arte poetica liber. Rec. GUILIELMUS CHRIST.  | VIII. . . Xenophontis. Expeditio Cyri. Rec. A. HUG.  |
| Id. Ars rethorica. Ed. A. ROEMER.  | Id. Historia Graeca. Rec. O. KELLER.   |
| Id. Quae feruntur Magna Moralia. Rec. FR. SUSEMIHL.  | Id. Institutio Cyri. Rec. A. HUG.  |
| II. . . . Fabulae Romanenses graece conscriptae ex rec. et cum adn. A. EBERHARD.   | Id. Commentarii. Rec. W. GILBERT.  |
| III. . . . Homeri Carmina. Ed. GUIL. DINDORF. (Voll. 2).   | Id. Scripta minora. Rec. L. DINDORFIUS.  |
| IV. . . . Metrologicorum scriptorum reliquiae. Ed. FRIDERICUS HULTSCH. (Voll. 2).  | IX. . . . Novum Testamentum. Graece ed. PH. BUTTMANN.  |
| V. . . . Patrum Nicaenorum nomina graece, latine, syriace, coptice, arabice, armeniace. Edd. H. GELZER, H. HILGENFELD, O. CUNTZ. | X. . . . Augustini (Sancti Aurelii) De civitate Dei lib. XXII. Iterum rec. B. DOMBART. (Voll. 2).  |
| VI. . . . Plutarchi Vitae parallelae. Rec. C. SINTENIS. (Voll. 5).   | XI. . . . Caesaris C. Iuli cum A. Hirti aliorumque supplementis: Commentarii de bello Gallico, de bello civili, de bello Alexandrino, de bello Africo, de bello Hispano. - Fragmenta. Rec. B. KÜBLER et Ed. WÖLFFLIN. (Voll. 3). |
| VII. . . . Strabonis Geographica. Rec. A. MEINERE. (Voll. 3).  | XII. . . . Ciceronis M. Tullii Opera rhetorica. Edidit FRIEDRICH. (Voll. 2).   |

(Sequitur in tertia operculi pagina).



(1) Sanctus  
annos natus cxx.  
singulis praestitu

### DE LIBR

CUL

VIDETUR n  
fuisse so  
mysticis inter  
adornare aggr  
petenda videt  
Romani iam o  
et ultra cum  
laribus litteris  
stianae religio

(1) Sunt qu  
(an. Chr. 142-1  
menta, ex Catal  
huius (Pii) episc  
mandatur contin  
ad illum in habit  
vel Herme, quor  
et ipse Eius. A  
suae benignitatis

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETIUM SUBNOTATIONIS:  
In Italia: Lib. 10 — Ubique extra Italiam:  
Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7 1/2.

BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:  
ARISTIDES LEONORI, eques.  
ROMAE - Via Alessandrina, 87.



AD VIRGINEM DEIPARAM

UT

LEONI XIII PONT. MAX.

ANNUM NONAGESIMUM EXPLENTI

DIUTURNAM IMPETRET INCOLUMITATEM

*Audi quod alta voce, quod intimis,  
Maria, votis poscimus: Impetra  
Longam Leoni, laetiora  
Tempora quae videat, senectam.*

*Exacta paucis, Ille decennia  
Novena clausit, plena nitentibus  
Gestis, profani quae perinde  
Atque sacri cecinere fasti.*

*O tu, perenni qua Deus utitur  
Opum ministra! limen ad ultimum  
Mortalis aevi fer Leonem,  
Cui nova vis redeat inventae.*

*Aetate Tuscum vincat Alexium, (1)  
Paulumque, Nili fluminis accolam; (2)  
Palmamque longaevae senectae  
Praeripiat tibi, Romualde. (3)*

*Nostris ab annis deme, quod Illius  
Accedat aevo: sponte carebimus,  
Devota propago, diebus,  
Vita Patris quibus augeatur.*

*Quod fecit agmen nobile virginum,  
Cum nuper anni quaelibet orbitam  
Ultero Leoni devoveret, (4)  
Turba volens, iteramus omnes.*

*Ac ne voluntas langueat, impigro  
Folvemus actu sacra rosaria,  
Quis serta texemus, Maria,  
Grata tibi, Triadique summae.*

*Ergo quod alta voce, quod intimis,  
Maria, votis poscimus, effice:  
Multos in annos Urbs et Orbis  
Incolumem videant Leonem!*

FR. X. REUSS.

(1) Sanctus Alexius Falconerius annos vixit cx. (2) Sanctus Paulus Eremita vixit annos cxiii. (3) Sanctus Romualdus obiit annos natus cxx. (4) Decem puellae Aquilanae, pro sua in Leonem XIII devotione, non ita pridem Deo supplicarunt, ut, ex aetate singulis praestituta, annus detraheretur unus, grandaevo Pontifici tribuendus, cuius vita sic ad centesimum usque produceretur annum.

## DE LIBRO AB HERMA CONSCRIPTO CUI TITULUS "PASTOR," (1)

VIDETUR mihi Hermas antesignanus quodammodo fuisse scriptorum, qui altero Ecclesiae saeculo mysticis interpretationibus fidei christianae doctrinas adornare aggressi sunt. Cuius rei causa inde mihi repetenda videtur, quod quum praedicatione evangelica Romani iam orbis quaquaversus ambitum occuparet, et ultra cum esset quoque dilatata, ac plures saecularibus litteris eruditi, philosophi praesertim, aut christianae religioni accessissent, aut in eius notitiam usu

(1) Sunt qui librum, de quo agitur, sedente Pio I Pontifice (an. Chr. 142-150) scriptum putent; quod, praeter alia argumenta, ex *Catalogo Liberiano* depromunt, in quo legitur: «Sub huius (Pii) episcopatu frater eius Ermes librum scripsit, in quo mandat contineturque, quod ei praecepit Angelus cum venit ad illum in habitu pastoris». Alii vero saec. 1, ab alterutro Herma vel Herme, quorum meminit Paulus (*Rom. XVI, 14*); quos inter et ipse Ermus. Auctor, cui ob novum in commentarium nostrum suae benignitatis signum grates habemus. *Vox Urbis.*

et consuetudine eorum qui illam profitebantur, venissent; fidei doctrina ipsis ieiuna nimis et simplex visa est; ut hominum quidem vulgo et idiotis accommodata illa esse posset, minime vero doctis, qui sublimioribus disciplinis animo informati erant. Sane gravi supercilio philosophorum, Platonicorum praesertim, humile et vile quid, ne ineptum dicam, praesefere videri debuit paupercula virgo, et praesepe, et infans in illud reclinat, ut Theodoretus loquitur (*de Cur. Graec. Affect. cap. 9*), et faber lignarius (Origen. *Cont. Cels. lib. VI, n. 36*) et piscatores lacus Tiberiadis, et quod beati censerī deberent pauperes spiritu, et mites, et lugentes, esurientes, misericordes, et mundo corde et pacifici, aliaque huiusmodi. Ipsaque Sacrorum Librorum dictio simplex, inelegans, impolita, quae certe splendore et artificio tot absolutissimis Gentilium sapientium scriptis, palmam prorsus cedere necesse erat. Itaque e re visum est aliquibus doctrinam quoque christianam exornare atque extollere, ut quid excellens eximiumque etiam

ipsa portendere videretur, quo certamen sustinere par esset cum saeculi sapientia. Quare in fidei doctrina et in Sacrarum Scripturarum libris abditiores sensus venari adorti sunt, prae illis quos prima fronte praeferebant, et profunda mysteria quae sub verborum cortice delitescerent, rimari atque effodere. Nec viam quam sequerentur adinvenire eis opus fuit; methodum enim iam praeformaverant *Cabbala* Iudaeorum et Philo.

Atque haec meo quidem iudicio radix et origo fuit ex qua ortum habuerint multiplicia deliramenta, et monstrosa opinionum portenta, *recondita mysteria*, ut ea appellat sanctus Irenaeus (*Haeres. lib. III, cap. 3, n. 1*), Gnosticorum. At etiam penes plures scriptores catholicos methodus favorem est nacta. Specimina iam praebent prior pars epistolae tributae Barnabae, et quandoque sancti Iustini *Dial. cum Tryphone*, quamquam sanctum martyrem, aliosque universim catholicos scriptores vel mos, vel adversariorum indolet quibuscum disputabant, culpa omni prorsus eximant. Insequenti autem tempore hanc Spartam ornare adgressi praesertim sunt Clemens Alexandrinus et Origenes; periculosae tamen plenum opus alicui, quippe, quamvis bona fide et sincero animo id egerint, periculum semper aderat, ne in locum revelatae doctrinae inania commenta, aut etiam ludicra humanae mentis somnia, subrogarent, ut Origeni ipsi non semper res feliciter cesserit.

Ad hanc itaque classem auctorem *Pastoris* revocandum censeo; nisi quod is apocalyptico quodam stilo non tam speculativa dogmata, quam potius moralia adornare sibi sumpserit. Sed inita ab eo methodus ad hoc tandem devenit, ut imaginum involucris et tropis obsita et obvoluta nobis plura exhibeat; tenebris offundens, quae si plane aperteque scripsisset, maximo usui et utilitati nobis hodie forent. Frustra in his quaesieris ingenuam et nativam veritatis faciem, quam praesertim utraque epistola Clementis, altera pars epistolae Barnabae, epistolae Ignatii et Polycarpi, *Didache Apost.*, *Apologiae* et scripta universim sancti Iustini, aliorumque qui prope illius aetatem vixerunt.

Quod vero in pretio a veteribus pluribus habitus fuerit, causa fuit tum quod catholicus esset scriptor, ut vitia non tam auctori libri quam methodo ab eo in itae culpa verterentur, tum ipsa libri obscuritas, cuius ancipites dubiasque loquutiones catholici interpretes in bonum sensum traherent. Quare etiam, ut ait epistola Paschalis sancto Athanasio tributa, catechumenis legi solebat, quia nempe catecheta quae obscurius aut etiam praepostere ibidem erant dicta, vivae vocis magisterio suppleret, corrigeret, emendaret atque ad sanam sententiam revocaret. Demum Clementi Alexandrino et Origeni adeo probaretur, quia esset scholae ipsorum veluti praeformator; quorum sententia in causa etiam fuerit cur Alexandriae, prout aliquot sancti Athanasii loca innuunt, pluris aestimaretur.

F. Card. SEGNA (1).

(1) Ex opere *De Ecclesiae Christi constitutione et regimine* inscripto, quod proxime prodibit.

## DE LINGVAE LATINAE NATURA AC PROPRIETATE

PARVUM sane libellum, si formam eius et tamquam faciem primam animadverteris, eundemque non nullius pretii ac ponderis, si, quae in eo insunt, consideraveris, hunc dicas oportet, qui « arida modo pumice expolitus » et apud Teubnerum, bibliopolam nobilissimum atque de studiis humanitatis imprimisque de litteris Graecis ac Latinis meritissimum, Lipsiae emissus, sic inscribitur: *Charakteristik der lateinischen Sprache*, von Prof. Dr. O. Weise (1899). Cuius quidem opusculi quamquam haec est editio altera (1) (nam liber abhinc octo ferme annos primum est editus), tamen et operae pretium esse neque a natura huius commentarii alienum existimavi breviter ac summam ea in medium proferre, quae longiore et uberiore oratione usus atque « iter per exempla », fructuosum hercle et iucundum, latius ingressus exposuit vir doctissimus. Qua in re sic versabor, ut rerum tantum capita attingam, multa omittam, quae a Weisio, ut scriptore Germanico, tamquam Latini sermonis propria adnotata, ab aliorum scilicet populorum loquendi scribendique ratione abhorrent, Italicae vero communia sunt, nonnulla etiam adiciam, pauca obiciam, paucissima denique abiciam.

Hoc etiam monendum, in hac sive altera sive tertia editione, praeter alia quae ab auctore ipso vel addita vel emendata sunt, totius capitis V accessio nem fieri, quod est de iis quae scriptores omnium praestantissimi primaeque classis, Ciceronem dico et Caesarem, proprie usurpaverunt, idque in verbis aut eligendis aut flectendis iisdemque aut inter se copulandis aut concludendis, atque in aliis rebus ad ordinationem sive constructionem dictionum, quam Graeci *σύνταξις* vocant, aut etiam ad sermonis *ῥήσις*, ut hinc quoque Graeco vocabulo utar, pertinentibus.

Atque ut ad rem aggrediar, placet nunc uniuscuiusque capitis (sunt autem capita quinque) argumentum singularumque rerum summam afferre. Itaque primus locus est de ingenio populi Romani cum lingua ipsa comparato. Ut enim in singulis hominibus, ita in singulis fere gentibus ac nationibus diversissima sunt ingenia, studia, mores, artes: quae omnia quantopere cum ratione ipsa cogitandi et cogitata verbis efferendi congruant, nemo est quin sciat, multisque argumentis ac testimoniis demonstrat Weisius. Et facere enim et pati fortia Romanum esse ait T. Livius, dum Mucium Scaevolam facit loquentem, nec uno loco Cicero gravitatem, virtutem, fortitudinem Romanam Graecae fidei et levitati opponit. Quid? quod a civi vere Romano otii vel otandi nugandive nomine significabatur mentis illa agitatio, quae aut ad reipublicae aut ad sua ipsius negotia non pertineret (2): quod cum sescentis aliis locis tum probatur versibus illis Vergilii praeclarissimis: *Excudent alii...* (cetera omitto, nam hos versus quis non olim didicit ac memoria tenet?). Cuius rei hoc est etiam argumentum, quod omnes artes, quae nihil utilitatis haberent (*broillose Künste*, pag. 3), leviores vel mediocres (etiam studia leviora, studia minora) dicebantur a Cicerone, qui, ut saepe, aequalium « ad utilitatem vitae omnia consilia factaque dirigentium » (sic fere Tacitus) studia, mores, iudicia indicabat.

(1) Atque adeo tertia dici potest, cum in editione Parisiensi, qua Ferdinandus Antoine librum ex Germanica lingua in Francogallicam conversum anno 1896 vulgavit, tam multa rogatu eius, qui opellam transtulit, ab eo, qui scripsit, adiecta et immutata reperiantur, ut novam inde editionem existitisse statuendum sit.

(2) Quod verbis quoque, quae sunt « ludus », « ludere », « illudere » (cfr. Horatianum illud « illudo chartis ») indicabant Romani, qui etiam vocabulum *σχολή*, idest otium, ad scholam definiendam a Graecis sumpserunt.

Nec parvum etiam huius rei documentum (quod omisisse Weisium miror) loco Horatiano, omnibus noto, invenitur, ubi sermo est de animi illa aerugine et cura peculii, qua filius Albini eiusque praeceptores misere laborabant, cum essent contra Graeci praeter laudem nullius avari (*Ep. II, 3, 323 sqq.*; cfr. II, 1, 93 sqq. praecipueque vv. 103 sqq.: *Romae dulce fuit...*). Virtus ipsa non per se colebatur, sed ideo quod eam vel reipublicae vel sibi prodesse putabant: id quod probat etiam, praeter alia, adiectivi, quod est *frugi*, vis et origo. Quae cum ita habeant, non mirum est, si iam inde a Catonis Maioris temporibus magnum fuit tamquam pro aris et focis certamen, quod ne Augusti quidem aetate desit, ut prisca Romana morum sobrietas et sincera patrii sermonis integritas servarentur neve externis causis morumque peregrinorum contagione corrumpentur. Cato enim, antiquae virtutis custos rigidusque satelles ac non solum censor castigatorque morum, sed etiam omnium rerum, in quibus aliquid Romanorum proprium ac tamquam gentile inesset, defensor atque assertor, litteras Graecas maximeque philosophiam et rhetoricam infestissimas iudicabat, timens ne Romani (ut Plutarchi fere verbis utar) *γράμματα* Graeca sectantes *πράγματα* neglegerent, iisque, quantum in eo erat, adversabatur. Pervagatissima est etiam illa vox eiusdem Catonis: « Quandoque ista gens sua litteras dabit, omnia corrumpet ». Sed cum iam novae disciplinae atque humanitati Romam ingruenti obstare in nullius esset potestate (quin etiam Catonem ipsum, quasi diurnam sitim explere cupientem, litterarum Graecarum perstudiosum fuisse in senectute compertum est), quid mirum, si tandem

*Graecia capta ferum victorem cepit et artes  
Intulit agresti Latio? (1)*

Quod quemadmodum factum sit, et quam late pateant in sermone ipso hae quaedam notae Romanorum ingenio insitae morumque ac studiorum conversio, paucis, si placet, Weisium auctorem magna ex parte secutus explanabo.

Gentem enim rusticorum masculam militum doctamque Sabellis lagonibus versare glebas, quae etiam omnia suis commodis metiretur, facile intellegimus, minus aptam fuisse ad facultatem illam animi excolendam, quae cum ad aliquid mente fingendum, tum ad ingenii celeritatem atque ubertatem spectat. Igitur quanta verborum paupertate atque adeo egestate laboraverit initio sermo Latinus, et nemo ignorat et hoc est non exile argumentum, quod Latina vocabulorum supellex externis bona ex parte opibus crevit. Quam rem tum maxime fieri oportuit, cum Romani litteras et artes omnemque fere cultum atque humanitatem Graeciae magnae, primum per Magnae Graeciae viros doctos, deinde per Graecos ipsos, cum bellis Macedonicis tum praesertim post Corinthum deletam (2) Romam magis magisque in dies affluen-

(1) Aliquanto post sic scripsit etiam Plinius Maior: « ingeniorum Graeciae flatu impellimur ».

(2) Eodem nempe anno, quo Carthago quoque, aemula imperii, exstincta est: ut suae ipsius vitae non iam timeret res publica Romana, quae ab omnium gravissimis externorum bellorum periculis liberata iis studiis artibusque favere poterat, quibus delectarentur animi. Quod iam paulo ante fieri coepit, cum

*Poenico bello secundo Musa pinnato gradu  
Intulit se bellicosam in Romuli gentem feram*

(verba nervorum illa quidem spiritusque plena sunt Porcii Licini apud GELLIIUM, N. A. XVII, 21). Ceterum de scriptoribus Latinis, qui ante aetatem, quam dicunt auream, fuerunt, id in universum dici potest, quod ait Quintilianus de Accio et Pacuvio, nitorem et summam in excolendis operibus manum magis videri posse temporibus quam ipsis defuisse.

tes, ad se receperunt, excoluerunt, Romana tamquam civitate donaverunt. Itaque cum res atque eas maxime quae ad omnis generis doctrinas, disciplinas bonasque artes spectarent, a Graecis excepisset Romuli gens fera, effectum est, ut et verba ipsa, parce plerumque detorta, quibus res efferebantur, mutaretur a Graecis. Sed sermonis Latini inopia, si hunc cum Graeco comparaveris, ex his etiam duabus rebus efficitur ac cernitur: ex summa difficultate nova verba per compositionem effingendi et ex tenui epithetorum ornamentum, quae dicuntur, numero. Quod cum multis locis, exemplis rationibusque prolatis, comprobet Weisius, ad alia pergo.

Atque id nunc moneo, mirum non esse, cum fuerit populus Romanus ad arma tractanda idemque ad agros colendos natus et aptus, sermonem eius variis plurimisque verbis pollere, quae proprie ad rem vel militarem vel rusticam et pecuariam spectant. Quod, ut ex sescentis exemplis pauca eligam, nomen ipsum « Quiritium » (« curis » enim Sabine idem significat atque « hasta ») et « pecuniae » (« pecu ») vel « adoniae » (quod est victoriae praemium: a genere quodam tritici, quod « ador » dicebatur) abunde confirmat (1).

Sed haec ratio atque inclinatio sermonis tum maxime perspicitur, cum verba per figuram usurpantur, hoc est, sive in translationibus, sive in comparationibus: qua in re maxime naturam cuiusvis gentis insitam eiusque vel virtutes vel vitia peculiariter tamquam in speculo expressa cerni, inter omnes constat. Verum ex multis exemplis quae attulit Weisius, non sine quadam admiratione translationem illam praetermissam esse video (qua nulla fere est crebrior apud poetas Latinos), quae tunc oritur cum res amatoria cum militari comparatur. Cuius loci exempla (Am. I, 9, 1 sqq.):

*Militat omnis amans et habet sua castra Cupido,  
Atlice, crede mihi, militat omnis amans,*

e. q. s.; alterum apud Horatium (C. III, 26; 1 sqq.):

*Vixi puellis nuper idoneus  
Et militavi non sine gloria:  
Nunc arma defunctumque bello  
Barbiton hic paries habebit,*

e. q. s. Cfr. etiam IV, 1, 1 sqq. (Plura videsis in mea disputatione, cuius est inscriptio: *De carmine Romanorum elegiaco*, Patavii, 1889, p. 150, et apud Antonium Zingerle, *Ovidius und sein Verhältnis zu den Vorgängern und den gleichzeitigen römischen Dichtern*, quem laudo p. 149) (2).

Cum autem Cicero non paucis locis aperte profiteatur, quantum in litteris debeant Romani Graecis, nonnunquam tamen nimia patriae caritate ductus sibi constare non videtur, cum vel « ne verborum quidem copia Romanos vinci a Graecis », vel « lin-

(1) Cfr. etiam nomina antiquissima, ut sunt « Duilius = Duellius », « a duello = bello », « Metellus = mercenarius », « Fabius » = « faba », « Lentulus » = « lente », « Vitellius » = « vitulo », « Cicero » = « cicere », aliaque, quae sunt paene innumera-bilia.

(2) Etiam genus quoddam poeticum in campis, ut ita dicam, et nomen et res formamque primum invenisse videmus, « Satura » enim (quod recentiore aetate « satira » scribitur, ut « maximum = maximus », « optimum = optimus », « lubet = libet », cet.) quin a « saturis lancibus », quas festis rusticis

*Agricolae prisci, fortes parvoque beati*

diis offerebant, orta sit, nullum est dubium; ut etiam furcis, ut dicitur, reicienda sit scriptura « satyrae » (per y loco i elatae), quam ii sequebantur, qui vocabulum a Graecorum *Σατύροις* ductum esse falso putabant. Plura confer sis in libro, quem *De satyrae Latinae origine et de C. Lucilio* (Pat. 1886) scripsi, p. 23 sqq.

quam Latin  
inopem, sed  
res quasda  
cari disserit  
mus, quin  
rum laudib  
illud Cicero  
insanit»),  
quandam no  
dere videtur  
nisi vitae co  
subiecta, qu  
ad epulandu  
loco facete  
sius, nostris  
nia » magis  
libet Cicero  
ita inducit l  
res nostri a  
vitae coniu  
runt melius  
tationem, tu  
eo genere  
deantur ».

Multa a  
urgenda et  
plenius haust  
tandi verba  
citus praete  
alacer atque  
esse) iubet,  
hoc caput  
obvius, eum  
Illud etiam  
eos, qui qu  
tenentur, et  
nia moresqu  
magis affect  
mata, religio  
uti, quae su

(Ad pr

## NOTAE

Ad ea qu  
potente  
dam abditas  
quibus efficie  
numina nonn  
amovendi, tu  
obtinerent. E  
quae et nun  
nobis tantum  
ligionibus co  
propria trian  
ratione quad  
rediensque p

Et profec  
ita dicam, im  
spectata ferr  
locum una r  
lance dispos  
populari tra  
ros faustos  
infaustos et  
Diis sacri e  
tum esse cre  
lendario met

(1) Cfr. nu

quam Latinam », ut alibi idem dicit, « non modo non inopem, sed locupletiore esse quam Graecam », vel res quasdam melius a Romanis quam a Graecis vocari disserit. Sed uno certe loco facere non possumus, quin ei adsentiamur: cum enim in Romanorum laudibus ponatur severitas ac sobrietas (cfr. illud Ciceronis: « nemo fere saltat sobrius, nisi forte insanit »), etiam vox quae est « convivium » hanc quandam notam penitus insitam Romanae genti ostendere videtur. Nam quid aliud significat « convivium » nisi vitae coniunctionem? cum contra vis eidem verbo subiecta, quod est apud Graecos *συνδειπνον* vel *συνπρόσιον*, ad epulandum potius vel ad potandum referatur. (Quo loco facete ille quidem ac non invenuste scribit Weisius, nostris quoque temporibus saepissime « convivia » magis quam « convivia » appellanda esse). At libet Ciceronem ipsum audire, qui Catonem Maiorem ita inducit loquentem (*De sen.* 13, 45): « Bene maioris nostri accubitionem epularem amicorum, quia vitae coniunctionem haberet, convivium nominaverunt melius quam Graeci, qui hoc idem tum compositionem, tum concenationem vocant, ut quod in eo genere minimum est, id maxime probare videantur ».

Multa alia missa facio, nam res non est nimis urgenda et primoribus potius labris gustanda, quam plenis haustibus sumenda; sed nolo equidem salutandi verba, quae antiqui in congressu solebant, tacitus praeterire. Nam Graecus, utpote qui natura sit alacer atque hilaris, eos *χαίρειν* (hoc est laeto animo esse) iubet, quibus occurrit; Romanus contra, cui hoc caput est, corpore et viribus valere, si cui fit obvis, eum verbis salutatur: « vale » aut « salve ». Illud etiam comparationis causa addi potest, populos eos, qui quodam cognationis vinculo cum Latinis tenentur, et nunc Neolatini vocantur, quorum ingenia moresque iam tum ab initio a fide christiana magis affecta sunt et ad pietatem erga Deum informata, religiosi etiam, ut ita dicam, salutandi formulis uti, quae sunt: *adieu, adieu, adios*.

(Ad proximum numerum).

PETRUS RASI.

## NOTAE APUD MAIORES SACRAE

Ad ea quae de castitate in mysteriis sacrisque potente alias excerpimus<sup>(1)</sup>, et numerales quasdam abditas virtutes ex eadem fonte haurire placet, quibus efficiebatur ut gesta, vel carmina, vel ipsa numina non nisi certo numero celebrata, tum damna amovendi, tum fausta procurandi peculiarem vim obtinerent. Est autem vox praecipua has inter trina, quae et numeralem quamdam perfectionem non nobis tantum, sed et omnibus populis et dissitis religionibus complecti visa est; deducta, ut putatur, e propria trianguli figura, congruentiae et harmoniae ratione quadam, quae in trino numero quasi manans rediensque per circulum undique perfecta habebatur.

Et profecto, de triplici hac potestate aliquid, ut ita dicam, impari cuique numero tributum reperimus, spectata ferme illa aequalitatis forma, qua medium locum una res tenet, ceteris hinc et inde perfecta lance dispositis. Quamobrem Pythagorae asseclae, populari traditioni saepe obsequentes, impares numeros faustos et masculos existimabant, pares contra infaustos et femininos; primi enim superis praecipue Diis sacri erant, postremi inferis. Qua de re cautum esse credendum est, ut in antiquissimo Urbis calendario menses inscriberentur aut vicesima septima,

(1) Cfr. num. super.

aut vicesima nona, vel trigesima prima tantum die absolvendi.

Ceterum dispari numero gallinis incubanda ova subiiciebantur, colligebantur pecudum greges, medicaminum granuli, lumbrici, baccae sumebantur, fasciae solvebantur, tantumque dispaes dies per morbi cursum decretorii habebantur.

Verum inter dispaes, princeps « III » numerus facile erat, quippe et ordine primus et suapte natura perfectus, e quo tamen in multiplos, quasi ex se genitos, patria virtus quodammodo effluebat. Lure itaque Aristoteles ait, numerum hunc religionis cultui praeceteris carum: Horae, Parcae, Eumenides, Sirenes, Hesperides ipsaeque Musae tres tantum vetustis originibus erant, quae deinde, sacro numero ter multiplicato, novem factae sunt. Cereris, Plutonis, Proserpinae infera numina in Eleusinis sacris feriis coniunctim obtinebant; Iovem, Minervam, Lunonem in Capitolina aede patres simul invocabant, et quoties Romani orarent, vel sacramentum dicerent, trina semper numina obtestabantur, et cum victimas mactarent, trino numero trinaque specie selegebant, quae passim triplici verbo suovetaurilia dixerunt. Si quis ad aram accedere vellet, triduo sese purgare debebat, trina ablutione mundare, ter conspuere, victimam circa aram teriato ambitu circumferre. Sed et mors trigeminis deflenda ritibus erat, tribus post diebus cineres sepeliendae, tertia vel nona die post humationem sacra Manibus celebranda; Alcesti morte servatae triduo silendum fuit, et quousque deorum inferorum in potestate mansit proindeque impuritate laboravit.

Pariter, post ternas, novenariae caeremoniae procedunt: quo numero Musae, Corybantes, Curetes, Telchines esse censebantur. Carneae Apollinariae, Spartiatum feriae, novem diebus protrahantur, novemque per plateas celebrantur, erectis novem tentoriis, quorum singula novem civibus essent apta. Nono pariter quoque anno Minos in Idaeum specus secessit, ut cum Iove colloqueretur; Apollo novem annos Admeti mancipium fuit. Qui Illyriae populos patres habiti sunt, novem iuvenes totidemque virgines fuerunt forma lectissimi, quibus novem primas nuptias inire Superi concesserunt.

« IX » vero numero, iterum trina vice multiplicato, « XXVII » exurgit numerus, cui haud minor tributa gratia videtur; nam septem et viginti selecti pueri sunt totidemque puellae, a quibus saeculare Horatii Carmen caneretur; taurilia item hoc numero mactabantur, Argeorum supplicatio per viginti septem sacella circumibat; quare non coeco quidem fato tribuendum est, totidem vesparum ictus mortem afferre; quibus tamen, ne taediosa nimis enumeratione lectores afficiamus, rei finem imponimus.

A. COSTAGGINI.

## IOANNES RUSKIN

Nemo ferme qui ingenuarum artium prodigiis quamvis raro delectetur, firmo animo exaudivit Ioannem Ruskin Conistonii vita esse functum. Quod enim nostris diebus novum studium excultos cuiusque gentis cives commovit pervasitque, et in exordientium media aetate artium opera oculos mentesque omnium iam convertit, nullum iam tantum auctorem habuit, quam Ioannem hunc, universae pulcritudinis spectatorem et interpretem. Neque profecto tam facile alteri concessam invenies eam oculorum mentisque aciem, subtilem ac peracutam, qua quis valeat pulcrarum rerum signa, colores, li-

neas, motus, spectanti multitudini plerumque abdita, luculenter percipere indeque divina dicendi vi penitus revelare. Ecquid autem dices cum novi huiusmodi adspectus ignotique splendores non tam incuriosos harum rerum civium ordines attonitos reddiderint, sed et ipsos artifices vel eorum operum peritissimos scrutatores stupore perculerint? Id enim Ioannis scriptis datum est, architectis, sculptoribus ac praecipue pictoribus, quotquot renascentibus ingenii artibus Urbinatem summum praecesserunt, dignam peritia lectissima gloriam restituere. Quae tamen non sine assiduo studio obtinuit, et Anglo cuidam, qui sese Botticellii tabulas primo oculorum intuitu summi magistri recognovisse blaterabat: « At ego », respondit, « ut id intelligerem bis decem annos moratus sum ».

Sed praeter insolitum ac validissimum mentis ingenium, quo praeditus est, una ipsi, quoties de artium operibus scriberet, magistra natura fuit, cuius contemplatione prae omnibus delectabatur. Eius enim tum latissimae caeli, aequoris, montium et silvarum pompae, tum quae minimae sunt in florum corollis abditae, vel roris gutture tremulo splendore remissae, veluti poetae oculos sibi continuo devinciebant. Speculabatur inde studiose qua potissimum cristata linea marini fluctus urgerent litas, quae molli forma nubes vento agerentur, atque inter silvarum innumeris truncis cathedralium translucere adspicere; vel cum liliorum cespites consideraret, facilis ad candidas illas exilesque angelorum formas, a primis pictoribus expressas, transitus erat.

Ita plane, coactae in memoria eius innumerae universalis pulcritudinis imagines, cum ad artium opera perscrutanda atque interpretanda ille converteretur, ingenii aciem quasi centuplicatam sentiebat. Et facile ignotum quoddam formarum agmen menti extemplo exurgere ei videbatur, quod quidem ob naturalis pulcritudinis memoriam una cum subiecto artificis opere provocare sibi necesse erat. Accidit inde, ut eodem quasi ritu, quo artium opera assolent ab artifice concipi, et ipse earum interpret studiosissimus ac maxime subtilis fieret, conversis ad pulcherrimos adspicere oculos, quibus diuturna naturae miracula vatis quemdam intuitum communicassent.

Quare vix editis primis eius libris, novo stupore perculti sunt lectores, acriusque poenituit Murray, anglicum editorem, adolescentis manuscriptum primum, cui *Recentes pictores* titulus, respuisse. Qua tamen repulsa minime fractus Ioannis animus, quin imo ipse sua scripta praelo edere coepit, unde acceptum lucrum spem eius omnem brevi praetergressum est.

Sed vatis animus, divitiis auctus, qua esset intima praeditus suavitate statim ostendit, totusque incubuit, ut egenos et rudes pro posse iuvaret. Scholam condidit, librariam officinam, cui operariorum legio dat operam, e solo excitavit; domus pro eorum familiis constituit, quas incolere commode possent, et uxoris et puellis texendi lintea artem in propatulo reddidit. Londini vero in urbe populi quoddam latissimum posuit hospitium, coquinis instructum, ut et quies et cibaria tenui sumptu miseris pararentur.

Opera, quae descripsit, plurima fuerunt, nec omnia pariter omnibus nota: *Recentes pictores; De gregis constitutione; Proserpina; Venetiarum lapides; Architecturae et picturae tractatus; Ingenuae mediae aevi artes; Vallis Arni; Florentinae deambulationes*. Verum, praeter intentum illum primum et veluti immediatum, quem sibi in his exarandis scriptis proposuit, ut summa artificum patrata interpretaretur, et minus cultis vel

minus diligentibus oculis planiora redderet, atque facultatem intelligendi pulcritudinem in omnibus acueret, gaudiumque quod inde percipitur multiplicaret, novum fuit illi et omnino proprium consilium. Voluit nempe ut diffusa haec et quam plurimis communicata effectae pulcritudinis laetitia animos mentesque civium expoliret, leniret, mitiores redderet, atque in mutua humanae societatis conversatione ad bonum in benevolentia operandum, ad diligendos et iuvandos homines, magis magisque flecteret. Quod sane studium quam acriter ipse foveret primum ostendit, ita ut non gloria ingenii tantum, sed et munificentiae laude plenus octogesimum primum aetatis annum attigerit, et civium fletu prosequente obierit.

I. ANTONELLI.

## NOTITIAE LITTERARUM ET ARTIUM

De anno et loco in quo natus est sanctus Thomas vulgo Aquinas.

QUIDQUID clarissimos spectat viros, id profecto magnam semper vim habet. Quis autem sapientior Thoma? Quis eo subtilior in his quae ad studium sapientiae vel sacrae disciplinae pertinent? Quis maius habet nomen apud omnes gentes? Eum sane colunt non tam homines illiterati, quam et sapientiae doctores, scholaeque aetatum omnium usque ad nos eum gloriantur sequi magistrum; nulla denique exstat tam ardua et difficilis quaestio, quam ipse suo prope divino intellectu penitus non perspexerit, quam non solverit.

Quamobrem mirum sane non est, si permultae ex regionibus meridianae Italiae pugnent inter se, atque eum suum esse acriter contendunt.

Duplex proinde ad nostram usque aetatem fuit sententia inter gravissimos rerum scriptores, ex quibus Tournon, Bareille, Cicognini, alii denique sunt, qui Thomam in oppido, cui vulgo nomen *Roccasecca*, prope Casinum, inter MCCXXIV vel MCCXXVII annum natum esse arbitrentur, quibuscum consentiunt et omnes veteres Aligherii poematis explanatores. Verum tamen nemo ex iis ulla protulit unquam litterarum monumenta, vel firmis innixus est argumentis, quae hanc possent probare sententiam.

Omnes contra rerum scriptores Calabriae, inter quos Bario, Marafioti, Fiori, alii multi, una voce consentiunt eum Bellicastri (*Belcastro*) prope Cantazaram urbem anno MCCXXVI ortum esse, quorum sententiae communis quoque fama et sermo hominum regionis illius favet.

Nunc vero quid dubitandum, postquam casu inventa est membrana fide digna, in qua ad exemplar primum expressa sunt, quae ad annum et locum natalem sancti Doctoris attinent? (1)

Re autem vera, ut inter omnes constat, comites Aquinates multa in Calabria regione praedia fiduciaria habuerunt, in quibus Bellicastrum, ubi nostra etiam aetate integrum manet castellum, sacraque aedes eodem exstructa loco, in quo fertur quondam exstitisse domus natalis sancti Thomae. Praeterea ex quadam membrana duodecimi saeculi clarissime patet comites Aquinates ea aetate Bellicastri sedem et locum constituisse.

Atqui cl. vir Iosephus Fragale, praefectus collegii canonicorum Bellicastri, plurima custodienda apud se tenebat antiquissima litterarum monumenta, quae omnia

(1) Eam primum vulgavit comm. cui titulus *La Compagnia sacra*.

nuper perscrutans Iosephus Ferrari canonicus, vir et ille egregius, membranam invenit, de qua sermo est, quamque inferius ad verbum exscribemus.

Quid ob eventum de exsultatione omnium civium? Statim res electrico filo archiepiscopo, aliisque praelatis nuntiatur; interim membrana domino Antonio Ciacchi, civitatis cognitori, committitur, qui eam custodiendam in aede publica deposuit, ubi summa diligentia asservabitur, donec eius auctoritas ac fides a peritis rei hominibus confirmetur.


Videtis membranae exemplar ad verbum transcriptae:

Ad Illmo et Rmo Dm. Epis. huius Civit. m: Bellicastri — Illmo et Revmo Dm: — Caplum huius Cathedralis Bellicastri umiliter exponunt quod cupientem habere copiam de baptismo Divi Thomae Aquinatis huius nos, civitatis existen. in libris. baptizator, apud Archivum. Ep.lem, ut servetur in nostro archiv. Capli pro nostra devotione, et pro futura rei memoria, et ita — Franciscus Sammarcus Decanus — Xaverius Famaredas Archidiaconus — Oratius Carpanzanus Cantor, Dominicus Thesaurarius Lupoleus — Petrus Lofrerius Can. — Franciscus Ballatores Can. — Iannes Galatis Can. — Octavius Chjaromontes Can. — Ioannes Baptista Coreus Can. — Iannes Franciscus Scarrillus Can. — Marcus Grecus Can. — Franciscus Aloisius Can. — Datum Bellicastri die 15 Maii 1405 — Visa supliat. nobis facta a nost. Revmo Caplo cupientem habere copia: de baptimo, Divi Thomae Aquinatis, huius Civit: ordinavimus nostro: Secret, extrahere copia: a libro renatoru: existen. in nostro Archivio Ep.ile, ut servetur in eoru: Archivio: et non aliter — Datum Bellicastri die 25 Maii 1405 — Lucas Epus Bellicastri. —

Anno domini 1226 in Civit. Genociastri — Ego Bernardus Dna providentia Epus, huius civit: Genociastri uti procurator SS. Dni Nri. PP. Onorii III terzi — baptizavi infantem natum ex legitimis coniugibus Landulfus De Aquino et Theodora Caracciolo comes n. ras: Civit: cui impositum fuit nomen Thomas — Eum tenuit in Sacro Fonte Sophia Staffa nobilis dictae civit. et ad fidem. — Bernardus Epus, et Procurator uti sup. —

Haec particula extracta est de verbo ad verbum a libro baptizatoru in Archivio Epli existem, cui facta collat: bene concordat, salvam. semper et in fidem — Silvius Garganius Segretarius et Notarius Apostolicus scripsi et signavi meo solito signo.

T. PACI.



Sanctus Thomas Aquinas (ex antiqua tabula).

## PROTRAHENDAE VITAE PRAECEPTA

DE Lacy Evans, Londini medicus, librum recens edidit cui *Ars protrahendae vitae* titulum inscripsit; de qua quidem arte, cum nullatenus absurda, dum morbi adsunt inopinati, censenda sit, iuvat praecepta nonnulla referre. Hoc enim studio nunc praesertim edito gaudemus, cum Romanum Pontificem iamiam nonagesimo anno auctum videamus integris mentis corporisque viribus, quod tamen non tam unius naturae viribus, quam peculiari divino prodigio adscribere placet.

Humanum corpus cum senuerit, ab ea externa interaque facie, quam iuvenis retulerat, differt omnino, ita plane ut, et motibus et compagine, agilitatem omnem amittat, aciemque sensuum obtusam paene ac hebetem experiatur. His namque florentis inventae dotibus rigiditas, durities, senium denique paulatim sufficiuntur, quo tandem postremo ad obitum acclinis descensus est.

Proprium enim est senectutis, eiusque quasi peculiariter notam constituit, sedimenta quaedam fibrillarum in iuncturis terrea atque salina e phosphato plerumque atque ex calcis carbonato, vel e magnesia, vel e similibus coalescere, quibus sensim accumulatis, amissio illa totius flexibilitatis totiusque motus efficitur, qua praecipui vitae actus cohibentur, et mors naturaliter paratur. Haec est enim physiologis et philosophis medicis generalis opinio de senectutis natura; quamquam adnotandum est, unam hanc causam ad senectutem procurandam minime sufficere, cum in senibus una eademque aetate maturis, disita omnino atque distincta phaenomena illa et vario gradu effecta reperiantur, ac decrepitis quibusdam octoginta vel septuaginta annis onustis, plurimis haud raro sociandi sint, qui vix decimum lustrum expleverint.

Quamobrem medica disciplina haud prohibetur, quin protrahendae vitae leges tandem aliquando inveniat, cum ipsas iam nobis liceat his praecipue complecti verbis. Quo magis homo cibum sumens, calcis particulas hausserit, eo magis sanguis eius calcareis huiusmodi elementis conflabitur, exsurgetque inde rigida illa hebesque ineptitudo, qua senes effimur et praematura morte mulctamur. At si, contra, delecti ad alendum cibi minimam calcis portionem contineant, minor etiam in sanguinis fluctibus ea erit, et quae in variis corporis nodibus insidet minuatur, vitamque longius progredi sinet.

Quodsi quis sciscitaverit qui sint igitur ad hunc finem assequendum aptissimi delegendi cibi, tria haec memorasse iuvabit:

I. Parco cibo utendum, atque ipso nonnisi quantum ad vitam servandam sit satis, ternaque in dies vice nunquam frequentius.

II. Pane et pastillis ceterisque e frumento paratis cibis moderate vescendum.

III. Fructus unaquaque vice sumendi; imo et ab illis initium et cum iis finis: qui enim assidue fructibus vescetur, ait De Lacy, morbos complurimos facile a se arcebit.

Nec satis; postquam enim complurima exempla longissimae vitae tum ex hominum, tum ex animalium, historia e summa antiquitate ad nostros usque dies medicus ipse deprompserit, hanc ipse sententiam patefacit: oxygenum, quo, spirando, alimur, cum urendis corporis nostri substantiis occurrere, earum consumptionem efficere cibique necessitatem provocare. Atqui, cum in cibis multa terrea elementa et obstruentia adsint, cum his praecipue aer oxygenum coalescere atque durum effici, et rigidam morti sternere viam. Quibus detrimentis ut obviam eamus parco cibo utendum nobis est, eo immo qui terreis his elementis quam maxime sit expers. At tamen iuvare supramodum ad finem asseritur aqua arte et fistulis purgata: hanc

bibamus phosphor

deficientiae ar

At suprem

sint prudentis

experimentis

edoceri libebit

hanc mundi v

PE

AB ANT

PERSEUS h

sculpti in

atrium a pulc

praecingit. Q

lateribus quat

aulas Innocen

perystilio exor

habuit quatuor

rima constitut

musei locus ha

insigne tabern

quod ab ipso

marmoreo p

haec portenta


italicae sculptu

pugiles, si in e

vel Phidiae ads

haec laus sum

insonasset.



Perseus et pugiles ab Ant. Canova insculpti.

bibamus phosphoreisque cibis frequentius utamur, cum phosphorum senectuti praecipue deesse noscatur eiusque deficientiae arte mederi oporteat.

At supremum totius rei iudicium, quamvis multa haec sint prudentissime effata, officinae anatomicae et chimicae experimentis committendum est, quibus tantum tute nos edoceri licebit, qua potissimum vespensendi ratione brevem hanc mundi vitam fauste protrahamus.

R. SPINA.

## PERSEUS ET PUGILES

AB ANTONIO CANOVA INSCULPTI

PERSEUS hic et pugiles duo ab Antonio Canova insculpti in cubiculo Vaticani musei asservantur, quod atrium a pulcherrimo visu nuncupatum tertio in angulo praecingit. Quondam vero atrium hoc parvum, maximis lateribus quatuor et quatuor minimis circumscriptum, in aulis Innocentianas directe immittebat; sed anno 1875 perystilium exornatum, ad latera minima cubicula adiecta habuit quatuor, et in ipsis et in porticu signa pulcherrima constituta, ita ut forte princeps totius Vaticani musei locus habeatur, et quasi sculptoriae veterum artis insigne tabernaculum appareat. Nam et Apollinis signum, quod ab ipso atrio celebre nomen habet, et Laocoontis marmoreum prodigium in ipso includuntur. At veterum haec portenta splendide est aemulatus Antonius Canova, italicae sculpturae gloria; neque enim Perseum hunc et pugiles, si in effossionibus forte reperti fuissent, Praxitei vel Phidiae adscribere quisquam dubitasset, neque recens haec laus summorum Graecorum Manibus, ut puto, invita insonasset.

LAELIUS.

## DE CASU AD RES REPERIENDAS HOMINI UTILES

CONSULENTI rerum scriptores facile patet saepe saepius casum fuisse in causa, ut plurima ignota vel obscura in lucem prodirent. Quin imo ex ipsis fabulis, seu ex rerum fictarum sapienter ordinata collectione, quae graeca voce mythologia appellatur, idipsum quodammodo conici potest: namque si fabulosis personis quisvis homines sufficientur, narratio seu fictum superest factum minime falsitate laborans, cum a vero ac probabili non dissideat, viamque insuper ad multa inventa, detectave explicanda facile patefaciat.

Memrurno enim, ut fama est, aquatilem avem conspicienti, quae ad vires fessas tantisper reficiendas in arboris trunco summis undis supernatanti consedisset, navigandi ratio affulsit, ita ut brevi Sidonius heros arduum inierit consilium. Ferunt etiam Isidem rudi cymba aequor arantem summis in hastis madidas explicuisse vestes, easque quum, vento perflante, longe lateque tumuissent, facilioremque parvae rati reddidissent cursum, Aegyptiae deae occasionem praebuisse, qua vela inveniret. Pan autem calamum seu fistulam primum confecisse dicitur, quum gratum accepisset sonitum, qui ex vento medias in arundines inflanti profectus esset.

Sed ut ad historias revertamur, statuit Plinius artem conficiendi vitri ex casu originem duxisse. Quum enim in eo esset, ut Phoenicii mercatores salis nitri in fluminis Beli ripa escam sibi coquerent, neque lapides ibi reperirentur, quibus quasi tripodibus innixa vasa calefierent igne, accidit ut salis nitri

fragmenta lapidibus suffecta flammis liquescerent, ripaeque coagmentarentur arena; quo factum est ut ex fortuita mixtione aliquid translucidum proficisceretur, quod postea arte expositum perfectumque vitrum evaderet.

Praeterea neminem fugit, rationem, qua pondus cuiusque rei seu corporis proprium statueretur, casu fuisse ab Archimede detectam. Hiero Syracusarum rex quamdam auri argentique vim aurifici dederat, qua coronam ei conficeret; expletoque opere, in suspicionem adductus, ne ab artifice deceptus esset, praeclarissimos quosque artibus viros, doctrinaeque in sua civitate pollentes consuluit, ut sibi modum patefacerent, quo auri argentique copia in extruendo diademate adhibita ponderari posset. Iam vero quum Archimedes quadam die vires aestu fractas balneo reficeret, animadvertit sui corporis pondus aqua quodammodo imminui ac relevari. Laetitia gestiens continuo ex balneo prodiit, ac plane oblitus nuditatis: εὐρηκα, εὐρηκα elata clamitans voce, in vias Syracusarum passim pervadendas se contulit. Deinde summam vario modo conficiendo atque subducendo, ad unguem mathematicorum statuit rationem, qua pondus cuiusque rei perspici posset; et quum auri pondus ab argento differat, ex toto coronae pondere haud difficulter deprehendit, quanta utriusque metalli vis in diademate conficiendo esset adhibita.

Fossilis quoque carbonis usus casui adscribendus videtur. Nam quidam Houillos, qui in urbe Plenevaux ferreas equis inducebat soleas, adeo egestatis angebatur angustiis, ut vel carbo, quo artem ageret, illi saepissime deesset. Quare quum de alenda fa-

milia omnino desperaret, in eoque esset, ut is sibi mortem conscisceret, in senem incidit, quem de suis aerumnis certiore fecit. Cui senex miseratione affectus: — In vicinum — inquit — montem te confer, ubi solum effodiendo nigram reperies terram ad comburendum maxime aptam. — Quod ad amussim fecit Houillos, eiusque inventum ita longe lateque propagatum est, ut posterius ad huius facti memoriam servandam fossilem carbonem gallico nomine *houille* appellaverint.

Narrant etiam calidam potionem ex arabibus fabis tostis ac tritis, quae tam bene stomachum molliat, ex casu originem duxisse. Accidit enim ut caprae in Persia, postquam id genus fabas comedissent, agitari coeperint, nec somnum capere potuerint. Quod quum animadvertisset pastor, atque in huiusmodi leguminibus et ipse periculum fecisset, cuiusdam coenobii praefectum de hac re admonuit, qui fabas nervorum excitandorum virtute praeditas in usum deduxit, quo alacrius e lectulo surgerent fratres ad divina explenda officia. Quamobrem id brevi in tota Persia propagatum est, atque in Arabia, ex qua praesertim Arabum fabarum nomen id genus legumina acceperunt, quum exquisitiora sint, quae ex Arabiae solo gignantur, quaeque *moka* vocabulo designantur.

His adde quod medicaminis quoque virtus ad pellendam febrem apprimere apti, atque *chinae* nomine usurpati, fortuito detecta sit ab Indo quodam febre laboranti, qui quum aquam bibisset lacunae, in qua chinae cortex ramique essent immersi, plene perfecteque convaluerit.

Ceterum perspectum cuique est ex casu multa fuisse profecta, quum praesertim viri acri ingenio atque ad res inspiciendas suapte natura accommodati fortuitis adfuerint eventis. Hi enim viri quae forte acciderint tanta animi contentione ad trutinam revocare conueverunt, ut ignotas naturae leges detexerint, eiusque mirifica patefecerint arcana. Quem enim latet Galilaeum in Pisae templo ex lampade, quae ab aedituo impulsa hac illac aeque itinere per aëra ferretur, horologii perpendicularum hausisse?

9)

## LOLLIUS SIVE DE PROVECTA LATINITATE

Scio quidem nonnullos ita solitos dicere, quaestionum id genus in theologiae ambitu debere versari et ad sacri ordinis viros pertinere, quasi parvi momenti esset supremi veri investigatio, aut interesset paucorum, satisne per studiorum rationem publicae ac privatae salutis consulatur. Viderint ii, qui excolendae iuventuti praesunt, rectene in scholis Deum meminisse nunquam meminerint, forte rati quae religionem spectent extra usum aut historiam humani generis esse. Sed vereor ne profanus ego minuat quaestionis gravitatem. Praestat igitur ea referre quae aliquot abhinc annis a vetere praeceptore nostro, quem hic videtis adesse tamquam non esset, disputata memini in oratione quam habuit de philosophiae usu in omni studio humanitatis. « An vero », aiebat, « is habebitur sapiens, qui aut unde proficiatur, aut quo perveniendum sit nesciat? Super haec autem habere errantem et vagam, non stabilem certamque sententiam, id sane abhorret a sapientia plurimum. Nisi enim res tam graves tamque praeclarae diudicentur, in summo errore necesse est homines atque in maxima rerum ignoratione versari, ex quo perturbatio vitae sequitur et magna confusio ». Sed eiusdem illa praecipue insident menti: « deinde ab optimis adolescentibus, qui philosophiae vacant moxque operam daturi sunt scientiae rerum divinarum, id maxime

Newton etiam ex malo in solum decidenti arduis iteratisque studiis eo tandem advenit, ut deprehenderet, omnia in hac rerum universitate atque compage pondere suo, ac vi quadam ineluctabili ad commune centrum ferri et quodammodo pertrahi. Ita Wat, quum perspexisset ex summa olla operculum aqua vehementer ferventi sursum extolli, vim vaporatae aquae detexit; ex quo facile extractas ubique gentium accepimus machinas, quibus nomen a vapore, quaeque terra marique viatores atque omnis generis merces in longinquas transvehunt regiones. Ita denique, ut cetera praetermittam, quae enumerare longum est, ex tunica ad focum calido aëre tumenti occasionem arripuit Montgolfier, ut immanis magnitudinis conficeret globos, qui sursum in aëra attollerentur, quique nostris hisce diebus, exquisitiore arte perfecti, in varios adhibentur usus, praesertim ad naturae leges summis in regionibus ulterius investigandas atque ad hostium castra, arces, ceteraque id genus attente perspicienda.

HERSILUS.

## COMMUNIA VITAE (1)

### Nonnulla quae ad convivium.

CRISPINUS me pransurum suas in aedes traxerat, immo (humanissimo amico sint voces dignae) rapuerat. Non novus aderam et conviva illic et hospes; et nobili matrifamilias Sophiae obsequentia verba loquutus, in « triclinium » adducor, quartus homo inter viros, quos eo die dominus invitaverat, quibusque plerumque est, ut, in utrisque versati, urbana pariter et pagana sciant, libros et agros, Cererem Faunosque dico, Minervam et Phoebum.

Sedibus datis, dum « gustatoria » circumferuntur, ut cuique suo pro lubito sint « butyrum », « alec », « perna », « bononiense farcimen », vel « amatriciana pila » eligenda, sive omnia simul, iuxta illud: « in varietate oblectatio, in copia saturitas », quod quidem egregii norma convivii est (parcant ii, qui dissentiant!), Lucilius, ex accumbentibus unus, Tarquiniensis genere et olim in celeberrimo illo Montis Faliscorum athenaeo latine eruditus, ita amphi-

(1) Cfr. num. sup.

peto, ut multum tribuant ei studio, quo, ut ait Augustinus, « fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur, » carentque ostendere humanam quoque sapientiam christianae fidei suffragari. Quod facilius praestabunt si maiorum instituta sectentur, dicto audientes Pontificis sanctissimi, qui, de philosophia christiana in scholis instauranda scribens egregie, proposuit eius viri doctrinam, cui uni licuit divina omnia et assequi animo et eloqui ingenio ». Post haec ad selectum quendam auditorum gregem conversus: « caveant autem », inquit, « ne se philosophos putent nisi ante didicerint saltem mediocriter et scribere et loqui. Nunquam enim crediderim per eos instaurari posse philosophiam, qui, cum in grammaticis versati fuerint tamquam inter cimmericas nubes, per diverticula quaedam, sive cursus breviores, in subsellia philosophorum irrepserunt ».

Haec ita conclusa plausus omnium excepit, praesertim Philippi. Qui ubi tandem bene prospereque rem compositam ac definitam sensit, una cum Mutio ducem se itineris praebens signum agmini dedit, ut ad hospitium tectum procederet. Cuius ut apparere fores, palliatus ille dux oppidi multa comitate invitandi coepit contendere ut apud se essent. Sed adducentibus omnibus amicitiae iura cum hospite, tandem extricare se tamquam a creditore licuit, data fide non defuturos postero die. Tum vero ingressi quinqueviri ocludere ostium, reliqua turba secum reputante, quanto facilius ad philosophandum pateant horti, quam ad vescendum domus.

Interea, ceteris in diversa abeuntibus, templi ianitor Marcus et curionis famulus Davus, palliati ambo, con-

trioni: — Quoniam tu aedibus hisce tuis illud in Esquiliiis occupas, ubi olim et Vergilii domus, et illa Tamphilana Titi Pomponii Attici, cur non excitasti, immo restitui triclīnii modum, quo Romani utebantur? — Cui Crispinus: — Etruscis, quorum genere nascor, morem gerere volui, qui sedentes potius, quam strati lectulis coenabant, uti in pictis et sculptis, quae supersunt adhuc, videre licet. Potius quaeram abs te utrum, sententia tua, prandii coenaeque ordo, prout nunc habetur, utrum obsonia hodierna praesent antiquis. — Cumque Lucilius ridens exclamasset, sententia sua, priscis anteferenda praesentia, ea potissimum de causa, quia praesentia famem placabant suam, quae autem antiqua erant potius narratione irritabant et asperabant, ipse vocatus fui ad enucleanda siqua sentirem.

Tunc ego: — Breviter duplici interrogationi satisfaciam. Privatae domus ea pars, quae ad convivium struebatur, modo « triclinium », modo « coenaculum », modo « coenatio » vocabatur. Olim, et credo usque ad Varronis tempora, ima domus ad haec; postea ad superiorem domus partem delata coenacula. Ait enim: « oporthecias qui faciunt... in iis camaras marmorato et parietes, pavimentoque laudabiliter faciunt quo frigidior locus sit, in quo etiam quidam triclinium sternere solent coenandi causa ». Ceterum ille idem scribit: « Ubi (Romani) coenabant coenaculum vocabant. Posteaquam in superiore (aedis) parte coenitare coeperunt, superior domus universa coenacula dicta ». Ad ea autem, quae de modo accumbendi dicis, recte addam illud Vergilii (I *Aeneid.* v. 176):

*Perpetuis soliti patres considerare mensis,*

quae firmat Servius in nota: « Maiores nostri sedentes epulabantur ». Vides igitur, Crispine mi, romanos mores ab etruscis tuis non abhorre, utpote eorum, qui ab Etruscis tuis fere cuncta didicerant. Quoad autem ea, quae coenae vel caput, vel corpus, vel finis (age, si placuerit), vel corona sunt, haud quidem longe diversum rebor edulii, dapisque genus, ordinem fortassis, sed non omnino. Habemus coram. Trifariam coenae solemnitas dividebatur: « antecoenium », sive « antecoena »; « coena », iure; « secundae mensae ».

Antecoenium, quod et « gustus », seu « gustatio », aut « promulsis » lactucis, olivis, ovis, acetariis irritabat palatum, famem stimulis augebat. Quid autem nunc sunt ista tua, quae « gustatorium » conficiunt? Idem et unum. « Lucanicas » prisci, tu « bononiense farcimen »; tu « pernam », tu « amatricianam », tu « haleces » apponis; tu

stitere paullisper, et: — Audistine? — inquit prior ille — aut ego insanio, aut seria ab istis aguntur.

Dav. — Nec tantum seria, sed unde liceat incolumem nobis fortunam constituere. Fateor equidem me rudem esse et rerum omnium ignarum; non ita tamen ut meas aures non iucunde perculerint res illae beatissimae, quas nominari audivimus, « cimmericae nubes », « cursus breviores », « subsellia ».

Marc. — Pulchra haec esse haud inficior. At num talia sperare fas esse nobis existimas?

Dav. — Par est omnes omnia experiri; nec spes refugit de his cogitare post audita illa de curionis magisterio, cuius ope licebit, quadrimetri studio latinitatis, ad philosophorum subsellia pervenire. Nosti autem ipsius curionis nepotem, qui biennio ante coquus, nunc philosophiae vacat in urbe; quem quidem tam rara sapientia praeditum ferunt, ut cantherino ritu adstans somnari videatur.

Marc. — Tu haec ab hero tuo poteris impetrare facilius. Sed illud mihi explices, oro, tu qui me es aliquanto doctior, quidnam sibi velit extrema illa sententia, quam e muro auscultavimus, philosophiam esse fundamentum litterarum. Neque enim intelligo quemadmodum nos et legere et exarare litteras didicerimus sine isto fundamento. Praeterea, si non nisi latine philosophari licet, necesse erit fundamentum ipsum fundari latinis litteris.

Dav. — Ardua sane et perobscura quaestio a te proponitur, nec multum illi absimilis, gallina ne prior an ovum exstiterit. Sed fortasse hodierna studiorum ratio nos latet, qui a vetere magistro instituti sumus, cuius

« butyrum », culanis tuis praestare « prae dicantes meli-

Nil ni  
Prolue

Ita Flaccus (

Tum Luc

quae in usu

Ego Luc

tonis rem fir

sallire sic op

ris, ungulas

gulas semodi

deinde perna

totam. Deinde

Caveto, ne c

iam omnes co

pareat; aequ

fuerint, exim

fuerint imas

nito. Post die

salem omner

Die tertio ext

dito in fumo

et aceto com

vermes tange

— Haec

Aequiculis er

lis, vel aurib

autoritas. Re

adeo redolent

Tum Luc

unde pernaru

— Redeo

vivarum aceto

naque proprie

culis, et omnib

Inter haec aut

aliquid, novu

Unde Martiali

Libranu

Et mihi Proilu

inscitia factum

piamus littera

autem, distort

mus, ita ut n

gallarum dis

nulla latinitat

damento subn

Mediam di

adventus, qui,

gulos diu quae

inquit — ridic

Quae est ha

cum togatis se

carnis aqua lin

sternendi lecti

impransus; qui

barba continu

cerem ambustu

Marce, fatuoru

versari in tem

linis infula tex

dituum, qui an

bras. Dic iam

consilii coeptu

quae commissati

At ille, vere

inquit — philo

(Ad pro

« butyrum », tu delicatissimum vini genus e vitibus Corniculans tuis feliciter ortum. Age, nec doleat; dicam hoc praestare « promulsidi », quam antiqui conficiebant « medicantes melle Falernum »; quoniam

*vacuis committere venis  
Nil nisi lene docet; leni praecordia mulso  
Prolueris melius.*

Ita Flaccus (II Satyr. 4).

Tum Lucilius: — Dic, sodes; et numquid « perna », quae in usu hodie est, eadem habenda est et antiqua?

Ego Lucilio: — Adeo eadem est, ut *sententia dia Catonis* rem firmet necesse sit. Audi quod ille: « Pernas sallire sic oportet, in dolio, aut in seria. Cum pernas emeris, unguulas earum praecidito. Salis romaniensis in singulas semodius. In fundo dolii aut seriae salem sternito; deinde pernam ponito; cutis deorsum spectet. Sale obruito totam. Deinde alteram insuper ponito, eodem modo obruito. Caveto, ne caro carnem tangat. Ita omnes obruito. Ubi iam omnes composueris, sale insuper obrue, ne caro appareat; aequalem facito. Ubi iam dies quinque in sale fuerint, eximito omnes cum suo sale. Quae tum summae fuerint imas facito, eodemque modo obruito et componito. Post diem omnino duodecimum pernas eximito, et salem omnem detergeto, et suspendito in vento biduum. Die tertio extergeto spongia bene, perungito oleo. Suspendito in fumo biduum. Tertio die demito. Perungito oleo et aceto commixto; suspendito in carnario; nec tinea, nec vermes tangent ».

— Haecne — Proilus inquit, qui conviva tertius ex Aequicolis erat — haecne Cato ille de pernis? Vel oculis, vel auribus meis non crederem, nisi tua me firmaret auctoritas. Recentia praecepta haec, non antiqua videntur, adeo redolent quae ad pernas apud nos hodie geruntur.

Tum Lucilius: — At redeundum ad tres capellas, unde pernarum gratia longius abivimus.

— Redeo — dixi. — Gustatione absoluta, peredia convivarum aceto ac sale irritata, altera coenae pars, coenaeque proprie dicta apponebatur lautissimis ditissima ferulis, et omnibus adinventionibus culinariis late redundans. Inter haec autem « caput coenae » eminebat (ita eximium aliquod, novumve dapium genus Latini dicere solebant). Unde Martialis (lib. X, n. 31):

*Mullus, tibi quattuor emptus  
Librarum, « coenae » pompa « caputque » fuit.*

Et mihi Proilus: — Quid cum nostris commune huic erit?

insectia factum esse reor ut cunctanter in legendo arripiamus litteras singulas, tardius coniunctas; in scribendo autem, distorte, inaequaliter, perturbate stilum exercaamus, ita ut non scriptionem, sed scarificationem esse gallinarum dixeris: nempe quia, ut tunc erant tempora, nulla latinitatis notitia instructi, nullo philosophiae fundamento subnixi, litterarum studia suscepimus.

Mediam disputationem intercepit nec opinatus curionis adventus, qui, reperto Davo suo, quem circum omnes angulos diu quaeritaverat, ira percitus: — Quid heic agis — inquit — ridiculum caput? Quae te intemperiae tenent? Quae est haec factio? Bombax! Operuisti tunicam ut cum togatis sederes, mihi cura relicta verrendae domus, carnis aqua liniendae, exstruendi ignis, exenterandi piscis, sternendi lecti. Tuae acceptum fortunae referas quod sim impransus; quid enim modo me contineret, quin te ista barba continuo arriperem in ignemque coniectum obicerem ambustulatum magnis avibus pabulum? Tibi vero, Marce, fatuorum ludibrium, non satis erat nigra toga versari in templo: superinduisti pallium: quid non Apollinis infula textisti sordidum caput? Oh! praeclarum aedituum, qui ante meridiem vix prae vino sustinet palpebras. Dic iam palliate furcifer, quid rei actum, quid consilii coeptum in conventu illo poetarum: quae epulae, quae comissiones instructae sunt aut decretae?

At ille, verecunde terram intuens: — Decretum est — inquit — philosophiam esse fundamentum litterarum.

(Ad proximum numerum).

P. ANGELINI.

— Quod vides — inquam — et quae videbis. — Advertabat enim ancilla convivi « iuris pulvisque scutulas » ferens ad singulos, et, pulvere facti, ad instar furfuris, « casei patellam », sive ovilli ex agro Corniculano, qui princeps est, sive ex agro Parmensi, qui celebri nomine laudatur, ultro offerens ut iuris suavitate illam caseo, nivis more superfuso, auferemus.

Narrabone? Duo illi convivae interrogationibus, credo, antea compositis ita me adoriebantur, ut vix cochleari uti possem. Iamque, « paropsidibus » ablatis, « patinae » apponebantur, et « mazonomus » frictis pulcherrimus et odoros obsoniis afferebatur, in quo « nulli », « artolagani », « glandulae », « cinarae », « cardui », « boleti », « foeniculi », medicis intertexti citrinisque malis triumphali aspectu eminebant.

Tunc ad me Lucilius et Proilus: — Non te desereamus, neque sinemus haec edere, nisi prius, uti de pernis, ita de « sumine », de « costis », de « isiciis », de « armis », de « ventriculis », de « lumbulis », de « sanguiculis », de « succidiis » omnibus et praeparandis et condiendis, Apiciana afflante musa, enucleaveris ac disserueris.

At matrisfamilias vox pro me loquuta intercidit, meque a ieiunii periculo liberavit, rem ad secundam mensam provida redigens, quo factum est, ut in venientes oblatasque dapes incumberem deliciosissimas, magna et mirabilia dente facturus.

H. DE VECCHI-PIERALICE.

## QUAESITIS RESPONSO

### I.

#### De latini eloquii pronuntiatione.

INEXHAUSTA aviditate perlegi quae de latini sermonis pronuntiatione ad quaestionem nuperrimam cl. vir Hyacinthus De Vecchi Perialice attulit. Pauca quidem dixit, sed nos iuvat maiora expectare, praesertim cum de causa et de modo diversae eloquendi rationis pollicitus sit se mox esse locuturum. Novimus eruditionem viri, et eorum omnium quibus doctum commentarium pervolvere contingit nemo facile non dixerit ipsum magnopere versatum fuisse inter Tullii familiares.

Res est sane digna quae humanissimorum *Vocis Urbis* sociorum mentem acuat. Compertum est nunc, apud Gallos, ut omittam ceteros, illos omnes qui latinis litteris non mediocri studio sunt dediti, summa animi expectatione pendere, ut si quis expeditum facilemque modum inducendae huius communis pronuntiationis proponat, hunc ducentem et auctorem sequantur. In pluribus illis conventibus quos habent artium liberalium doctores, res est non semel agitata; de hac multi docti scripserunt, inter quos referre satis duximus cl. D. Pothier, sancti Benedicti alumnum, librorum quos de cantu Gregoriano inscripsit fama notissimum. Quid multa? His ultimis temporibus, Parisiis venalis prostat libellus (1), in quo, favente eminentissimo S. E. Cardinali Lucido M. Piarocchi, qui *Vocis Urbis* exordiis patronus existit, re accurate perpensa, ad pronuntiationem illam, quae hodie Romae viget, pluribus nec spernendis rationibus hortatur.

Verum, ut aperte dicam quod sentiam, ingens difficultatum moles nos ab Italis disiungit, novas Alpes dixeris interiectas. Quo nunc sumus studio, qua animi propensione, satis facile nobis foret recedere ab illo pronuntiandi modo quem ab Erasmo, ut aiunt, corruptum accepimus et accepisse cognoscimus; at vero, quantum hactenus accentu in dicendo latine a ceteris dissociamur! Hoc opus, hic labor est! Nunquam, ut auguror, res est pulcre

(1) *L'unité de la prononciation latine, proposée et recommandée au clergé.* Imprimerie Franciscaine à Vanves, près Paris.

processura, nisi prius in accentum illum procurandum impensissimam operam collocaverimus. Scio equidem non apud omnes Galliae provincias eodem modo desiderari accentum latinum. Quot sunt magistri — expertus loquor — qui in illum invehendum mire insudarunt! Verum, in quibusdam regionibus id intendi putares, ut latinae voces accentu barbaro de industria vexentur et consulto detorquantur a sua significatione. Accentus ille, de quo neglecto quisquis de litteris optime novit conqueritur, quid tandem est, nisi velut anima spiritusque sermonis? Licet mihi aureos illos Terentii, Vergilii, Horatii versiculos, aut amplissimam Tullii periodum perlegas, nisi singula vocabula accentu distinxeris et ornaveris, non ardebit: audio incompositos quidem sonos; harmoniam, numerum non percipio, nec possum percipere.

Quoniam vero pacto haec barbaries apud nos invaluerit breviter dicam. Ut omnes norunt, agnoscit lingua gallica latinam velut matrem filia; multo maior vocabulorum pars e fonte romano decidit recto tramite. Quid fecere maiores nostri in vocabulis edendis? Syllabam accentu notatam in dissyllabis servaverunt, altera silentio praetermissa aut in e mutum, ut aiunt, mutata. Hinc, si ultimam hanc syllabam reticueris, totidem gallicas voces sono audies, exempli causa: *domus, homo, bonus* etc. In longioribus vocabulis, syllaba quae erat apud Latinos acuta, corpus, si ita dicere fas est, vocis efficit, v. g. *presbyter = prêtre; fragilis = frêle; anima = âme*. Hac de causa (frustra aliam quaeras) accentus apud Gallos semper reponitur in ultima syllaba, si mutam, quando adest, expunxeris. In dicendo latine induximus eandem eloquendi rationem, qua fit ut instinctu quodam naturae, omni dimensione syllabarum posthabita, corripimus priores vocabulorum syllabas, ut in ultima producto hiatu immoremur. Qui mos, quam sit a genuina latinitate alienus, nemo non videt.

Deficiente ergo accentu, parum iuverit si eandem consonantium vocaliumque pronuntiationem admitterimus; nec libenter, nec facile audiemur. Quorsum ista? An ut a proposito fine eos, quibus gallica lingua usui est, deterream? Minime. Contra, velim omnes novo ardore, novaque animi contentione accingantur ad accentum procurandum, ut tandem aliquando omnes conveniant in eadem pronuntiandi rationem. Quod ut fiat, in conventu quodam, id non inconsulto quidem propositum est, ut in libris auctorum latinorum, quos quotidie rudiores pervolvunt alumni, accentus latinus virgula typis impressa inscriberetur, non secus et in libris liturgicis multis abhinc annis passim factitatum est. Alii postularunt, ut dum pueri grammaticae navant operam, iis sedulo traderentur accentus regulae. Risum teneatis amici! Eo enim res apud nos devenerat, ut etiam in libellis de grammatica inscriptis praecepta tanti momenti alto silentio praetermitterentur. Nec defuere qui cantus illos Latinos, exaratos a Gallis latinitatis imperitis, duxerint esse prohibendos, cum conflarentur nulla sive accentus, sive dimensionis syllabarum ratione habita; quodsi — non insulse illi dixerunt — adeo grati sint auribus gallicis, accommodentur vocibus!

Haec quidem optima; verum si ex sententia conatus nostros succedere cupimus, nihil magis aptum videtur, quam ut singuli litterarum latinorum magistri discipulis praesint exemplo, et a pueris, etiam quos primas vocabulorum inflexiones docent, accentum latinum indefessi exigant. Mox fiet, ut hae moles, quas alpinas pridem dixeram, disruptis obicibus penitus evellantur, et ad vos venire possimus proprio eloquio salutaturi.

A. SORDET.

## II.

## De nomine telegrapho filii experti imponendo.

INVENTAE a Marconio nuper electridi sine filo quod nomen imponendum sit rogat Arnorius. Ego vero, quum nonnulli linguam latinam novis rebus exprimendis imparem credant, gravis momenti quaestionem existimo. *Telegraphus*, si divo Iulio credimus, proprietatum in verbis retinentissimo, nihil aliud est praeter « significationis » genus; narrat enim quosdam « ignibus significationem fecisse »; quod vulgus recens *telegraphiam opticam* vocet. Nonne igitur illa electrica filique expertus probe *significatio marconiana* vocitetur?

Si nuntium novimus electride mitti, non nostra refert, cognita celeritate, apparatus. Quare summi auctores, quamvis nunquam in circuitum incidere, officinae tamen plerumque peculiariter verba vitarunt. Ita M. Tullius in hac sententia: « quum machinatione quadam moveri aliquid videmus, ut sphaeram, ut horas... », non scripsit *horologium*; neque hic Iul. Caesar *clepsydrum*: « reperiebamus », ait, « certis ex aqua mensuris » (1). At si contra tamen postulant sua cuiusque artis vocabula, appelletur *significatio morsina*, *marconia*, *lodgeia*; quemadmodum varia ignita missilia, *remingtonia*, *mauseria*, *lebelia* nuncupantur, quae singula adiunctis quibusdam non novis nominibus designari placuit.

Paucis ab hinc mensibus londinensis quaedam ephemeris, quum ducenta et quinquaginta millia vocum in anglico sermone numerasset, gallicos tamen XVII saeculi scriptores quinque millibus omnia lucide et eleganter dixisse memorabat. Non caremus igitur verbis, quae ultro ex sententiis oriuntur, ac merito Darmesteterius in opere *De vita verborum* monuit, vocabula non definire, sed tantum indicare. Nam plerique recentiores notissima quaeque meminisse iubent, ut ignaris explicent. Ita, et dictione longiore et brevioris descriptione, bifariam peccant.

Non currum, navem, equum, ut veteres, non simplices voces efficiunt, sed gemina *automobile*, *locomotivam* (latine ab Avellano potius *cielrum* appellatam). Itaque caveamus ne latine scribentes vulgares linguas imitemur, multo prolixiores magisque definitas quam veteres.

Ad iungendas nationes ingenio dissimillimas, ut Asiaticas et Americanas, aptus est latini sermonis usus; at illa nobis potius imitanda videtur ampla latinitatis aureae simplicitas, et stilus universalis XVII saeculi, quam commune apud disciplinarum doctores eloquium, minutum, recenti vulgaritate vitiatum, olens oppidanam ac scholasticam indolem. Sermonem mundani poscunt expeditum, depositis technicorum sarcinis, ad ingenua commercia paratum, colloquiis exedrii matronis quoque habilissimum: nam lingua, donec captet mulieres, parum valet.

J. TASSET, socius.

(1) Cfr. QUICHERAT, *Dict. Fr.-Lat.* sub voce *horloge*.

## ANNALES

Anglorum victoriae - Russorum milites ad Persas - Americanum Anglumque foedus - Sinensia discrimina - Iubilaria fasta.

NESCIO an maturius forte quam prudentius de Boerorum libertate iam sit dubitandum, si nuncios novissimos perpendamus, qui ex ultima Africa sunt ad nos missi. Iam enim Roberts, dux Anglorum supremus, Cronje Boeri ducis exercitum a Kimberley obsidione desistere coegit, eius castra

occupavit ipsumque in fugam Bloemfontein urbem versus, instructis post terga equitum alis, insequitur atque urget. Redwers Buller autem in Tugela ripis ter quaterque disiectus redit ad pugnam, ac cessantes inde hostes, qui sociis in Orange pugnantibus auxilium laturo profecti sunt, ipse e suo loco concitat, et Ladysmith ad moenia iterum contendit. Interea novae semper, ut audimus, ingentesque copiae in Anglia coalescunt quotidie, seque ad bellum parant, ut immensum illum exercitum, qui in ultimam Africam convenit, magis magisque augeant; quin etiam ipsa Victoria regina ad Wolsely summum ducem epistolam misit, qua et veteranos milites emeritis stipendiis hortatur ut iterum ad signa redeant, ne legionibus omnino destituta Angliae litora maneant.

\*

At maximum quidem momentum quo hodiernum hoc bellum habetur non id tantum ostendit omnes populi nonnisi illuc intentos oculos habere, sed et simultates, aemulationes cupidaeque desideria, iuxta varias eius vices, exoriri passim, acrique sermone in diariis praesertim prodere. Russi enim primi copias quotidie maiores ad Persarum Indorumque fines colligunt, ut forte arrepta occasione illos transgrediantur, et mediam per Persiam ad Indos usque brevi tramite concurrant; nec valent Angli huiusmodi machinationibus obviam ire, cum exercitus copiasque suas paene omnes ad Boerorum fines coactas habeant.

\*

Quapropter non miramur nova audire de occulto illo foedere quo Anglia simul atque Americana nordica foederata respública, utpote eodem sanguine gentes ortae eodemque ingenio praeditae, obstringantur.

\*

Nec tamen alibi quoque adeo remissus ostenditur Anglorum animus, qui cives suos contra insanum furorē non tueatur, vel impune interfici sinat. Id contigit recens in Sinis ob binos Anglorum legatos, qui ad Sinarum Indorumque fines optime constituendos operam dabant. Sed iam anglus legatus Peckini degens una cum Sinensium duce convenit, ut sicarii capiantur ac debita poena brevi afficiantur. Imperator vero, qui relinquere thronum nuper materno consilio coactus est, omne auctoritatis decus nondum amisisse videtur, cum e Tsung-li-Yamen invitationes ad legatos gentium prodierint, ut coram se venirent.

\*

Urbana fasta iubilari anno tantum adscribenda videmus; peregrinantium nempe turmas, quae frequentiores quotidie ad nos confluunt. At praeter multos Ecclesiae principes et pastores, qui sui gregis duces ad Apostolorum limina facti sunt, illustris etiam hospes adfuit Lueger, Vindobonensium civium *syndicus*, quem Pontifex peculiari benignitate excepit et allocutus est. Haec autem ipse paterni amoris testimonia ad cives rediens enarravit, iisque ostantibus Patris et Pastoris grates obtulit ob auspicia, quae post restitutam Pontifici valetudinem filii piissimi ad eum miserant.

POPPLICOLA.

PUBLICI PER ORBEM COETUS  
LEGIBUS FERENDIS

IN Anglia Brodrick, rerum ad externos administrer, Batorum et Germanorum pactioni circa Africanum bellum initae nullimode credendum esse protestatus est; iterumque de Delagoa sinu ab anglis militibus non occupando assertiones iteravit. De exercitu autem augendo ob belli necessitates lex primum lata est, itemque de

expensis in bellum conferendis: denique, nova rogatione proposita, de exercitu ad centum viginti millia militum etiam in pace cogendo, post Hyberniorum oratorum vanae contestationes, lex facta est.

In Austria novae comitiorum sessiones die mensis Februarii XXII iterum haberi coeperunt.

In Gallia Sembat populi orator de militaribus legatis ex Italia atque e Germania revocandis frustra rogationem obtulit. Gallifet autem, supremus bellicarum rerum administrer, nunciavit, Deoloye, qui tormentis bellicis universis praest, opera, ballistam Gallorum ignivomam, nonnullis immutatis, optimam omnium ballistarum esse factam.

In Germania foedus de Toga, Samoa et Zanzibar coloniis initum ab oratoribus populi approbatum est: rogatio vero de navalibus copiis augendis, delecto iam oratorum collegio tradita, ut de eius expensis inquirant, ac deinde tute referant.

In Graecia Bonfidis praeses comitiorum, ad quae oratores populi conveniunt, relatus est: ibidem summus bellicarum rerum administrer rogationem obtulit ut delectum centurionum tribunorumque collegium deligatur, qui una secum de bellicis rebus curam potissimam gerant.

In Hungaria Coloman Szell, summus regni administrer, de Fluminis urbis discordiis opportunam orationem habuit, ut civium libertas una cum Hungariae reipublicae iuribus tuta maneat.

In Italia, rationibus de publicis expensis absolutis, coram municipibus rogatio de stipendiis veteranis militibus, argentaria mensa constituta, augendis reiecta est.

In Lusitania de propriis coloniis nullo pretio vendendis vehementes orationes coram populi oratoribus habitae sunt, atque magnis ovationibus plenisque suffragiis lex hac de re lata est.

SCRIBA.

## AENIGMATA

I.

Rite lego: in silvis praestat, perstatque vigore.  
Si lego retrorsum, virginis ora nitent.

II.

Absque *priore* escam tolero, sed carmina nunquam.  
Omnibus ecce *aller*: patet hic, patet hac, patet illac.  
*Totum* a salvando quidam dixere; sed audi:  
« Cur morietur homo, cui *totus* crescit in horto? »  
Hoc Schola iam docuit quaerentem Antiqua Salerni:  
« Contra vim mortis nullum est medicamen in hortis ».

DIGAMMA.

Ex sociis qui utriusque aenigmatis interpretationem ad commentarii moderatorem miserint intra duos menses, unus, sortitus, gratis accipiet opus cui titulus:

GUIDA DEL PELLEGRINO A ROMA

riveduta e corretta dal P. GIUSEPPE BONAVENIA d. C. d. G.  
(Romae nuper edit, Desclée, Lefebvre et Soc.).

Aenigmata ann. III, n. I proposita his respondent:

1. P - rex. 2. I - o.

Ea rite soluta miserunt:

Ed. Bianco, Roma - A. Chevènement, Nods, in Gallia - Alafrius Bartoli, Grosseto - P. Aloisius a Tabia, Praeneste - Ios. Sola, Montereale, in Sicilia - P. Garrone, Pezzana ad Vercellas - Martinus Kheberich, Seepusio, in Hungaria - Ver. Carriolato, Vicentia - L. Arnori, Mediolano - A. Burg, Argentorato.

Sortitus est praemium:

P. ALOISIUS A TABIA,

ad quem missum est opus, cui titulus:

BIBLIA SACRA

VULGATAE EDITIONIS

Xysti V. P. M. iussu recognita et Clementis VIII auctoritate edita.  
(Affabre renovarunt Desclée, Lefebvre et Socii).

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE - Ex Officina Forzani et Socii.

- XIII. . . Ciceronis M. Tullii Orationes. Ed. MÜLLER. (Voll. 3).  
 XIV. . . Ciceronis M. Tullii Epistulae. Ed. MÜLLER. (Voll. 2).  
 XV. . . Ciceronis M. Tullii Scripta philosophica. Ed. MÜLLER. (Voll. 3).  
 XVI. . . Eclogae poetarum latinorum. Ed. S. BRANDT. Id. graecorum. Ed. STADTMÜLLER.  
 XVII. . . Gellii Auli Noctium Acticarum libri XX ex rec. M. HERTZ. (Voll. 2).  
 XVIII. . . Historicorum Romanorum fragmenta. Collegit, disposuit, recensuit H. PETER.  
 XIX. . . Orosii Pauli Historiarum adversus Paganos libri VII. Rec. C. ZANGEMEISTER.  
 XX. . . Panegyrici Latini XII. Rec. AEM. BAEHRENS.  
 XXI. . . Poetarum Romanorum fragmenta. Ed. AEM. BAEHRENS.  
 XXII. . . Siliii Italici Punica. Ed. L. BAUER. (Voll. 2).  
 XXIII. . . Taciti C. Cornelii Libri qui supersunt. Rec. C. HALM. (Voll. 2).  
 XXIV. . . Valerii Maximi Factorum et dictorum memorabilium libri IX, cum Iulii Paridis et Ianuarii Nepotiani epitomis. Rec. C. KEMPF.  
 XXV. . . Varronis M. Terenti Rerum rusticarum libri III. Rec. H. KEIL.  
 XXVI. . . Christus patiens. Tragoedia christiana ex rec. I. G. BRAMBS.  
 XXVII. . . Vitae Sanctorum novem metricae ex codicibus Monacensibus, Parisiensibus, Bruxellensi, Hagensi saec. IX-XII. Ed. GUIL. HARSTER.  
 XXVIII. . . Epistolae selectae virorum clarorum saec. XVI-XVII. Ed. E. WEBER.  
 XXIX. . . Manutii Pauli Epistulae selectae. Ed. M. FICKELSCHERER. Mureti M. A. Scripta selecta. Ed. I. FREY. (Voll. 2).  
 XXX. . . Divi Thomae Aquinatis Summa Theologica ad emendatiores editiones impressa et accuratissime recognita. Edid. Romae Forzani et S. - Leo PP. XIII aureo numismate decoravit.  
 XXXI. . . Divi Thomae Aquinatis Summa Philosophica contra Gentiles ad lectionem codicis autographi in bibl. Vaticana adservati, probatissimorum codicum meliorisque notae editionum fideliter impressa. - Romae, ex off. Forzani et S.  
 XXXII. . . Biblia sacra vulgatae editionis Xysti V P. M. iussu recognita et Clementis VIII auctoritate edita. - Affabre renovarunt Desclée, Lefebvre et S.  
 XXXIII. . . Novum Iesu Christi Testamentum vulgatae editionis Xysti V P. M. iussu recognitum et Clementis VIII auctoritate editum. - Affabre renovarunt Desclée, Lefebvre et S.

(Quae opera omnia prodierunt Lipsiae ex officina Teubneriana).

Subnotationes atque praepositi praemii indicatio recto tramite mittantur ad *Vox Urbis* commentarii administratorem, Roma, via Alessandrina, 87.

## PER ORBEM

Ut sunt humana? Eheu! misera semper. Quocumque enim per scriptoriam tabulam oculos converto ad innumeras e diariis depromptas lacinias huc illuc effusas, una eademque occurrunt: **procellae, naufragia, aëris marisque tempestates.** Haec in Calabria, haec in Anglia omni, haec circa Iberiae litora, in Germania, in Gallia flagravisse referuntur, et ferrea itinera ripis ruentibus disiecta vel interrupta; portus ora undis frementibus oclusa, flumina denique ex alveis tumentia ob pluviarum inexhaustam perennitatem, uti Rheno praecipue contigit.

Antuerpiae autem in portu, licet siluissent procellae, maiora **vorax ignis rabies** patravit. Scapha enim erat anchoris haerens, et fibrillis ex africanis palmarum nucibus detractis omnino referta. Harum itaque cumulum prima flamma voravit; at quamvis advenientes statim nautae scapham chordis detraxissent atque extra portum deductam in litus conicerent, ignis iam navis latera aggressus fuerat, quam brevi funditus absumpsit; nec vigilum cohortibus statim advocatis, nec nautarum totius portus conatibus datum est, ut aliquam saltem oneris partem e flammis eruere possent. Unus miserae scaphae nauta sospes e tanta ruina superfuit cum uxore et filiis, iamque consumpta bona omnia sibi commissa incassum deflet.

Velim tunc in **Russiam** mecum concurratis ad Maly Ouzen, ubi cum multitudo fidelium in templo congregata sacris adsisteret, moenia extemplo et lacunaria circa chorum contremuerunt quasi terraemotu concussa, ac statim ceciderunt in ruinam. Tunc clamores altissimi e populo exorti, omnesque concurrere ad portas, quarum cum binae minores exterius conclusae adhuc manerent, mediam eamque maximam

omnes fuga petierunt, sed ruinis obstructam invenerunt. Itaque multiplicato gentis pavore, magna caedes orta est virorum, mulierum, puerorum puellarumque, quorum fere centum vulnerati ipso suorum concursu sunt; ruinis contra, uti in his saepe assolet, nullum quasi hominum detrimentum acceptum est.

Quae profecto, ut audio, **Lutetiae** pariter evenissent in *Trianon* theatro, nisi sorte accidisset, ut, subortis flammis, absoluta iam essent spectacula, mansissetque cavea omnino deserta. Verum mirandi illi omnes scenarum vestiumque thesauri, quos Leopoldus Fregoli, italus celeberrimus mimus, secum orbem peragrans deducebat, invidus ignis plane delevit, ita ut iam diu expectandum gentibus sit antequam lepidissimis illius iocis iterum rideant.

VIATOR.

## VARIA

**Conditiones pro Iubilaeo Maiori, seu Anni Sancti, versiculis contentae memoriae iuvandae gratia.**

*Subsidium miseris; (a) Confessio - Sacra Synaxis; (b) Visere bis decies templa, (c) et ieiunia terna. (d) Rite haec Pontifices ad Iubila plena requirunt.*

(a) Eleemosyna aliqua iuxta cuiusque facultatem. (b) Confessio et Communio. (c) Visitatio ecclesiarum, pie orando ad S. Pontificis intentionem. (d) Ieiunium trium dierum, feria IV, VI et sabbato.

\*

**Sublimis Porta.**

Quot nostrum saepe audivere circumsonantia haec verba! **Causa nominis tamen potius ab historia quam ab arte quaerenda.** Siquidem Mostardheni, ultimus ex genere Abassidum pontifex (Kalif) Matmethanorum, proprio palatio, qua egre

deretur intraretque, portam construxerat, cuius in limine partem nigri lapidis (magnae superstitionis ex Abrahamo repetitae causae atque ad Mahumetum usque delabentes) quem in templo Meccae Turcae colunt oculis, adoratione, affatu, et similibus, posuit. A fastigio portae villosum descendebat velum auro gemmisque acu pictum arte mirabili, coram quo optimates, aulici, viri denique omnes, praeter eos, quos Kalif sibi adesse iubere, stabant venerabundi, saxo figentes oscula et limini. Qui praeteriret iniussus, capital esset.

Responsa, leges, iussa, imperia, decreta non igitur ex ministris, aut ex Kalif, sed e *Sublimi*, vel *Sancta Porta Kalif* tradebantur in gentes, ut venerabilius nomen imperantis omnia videretur. Hinc nomen in usu esse coepit; et eo ventum est, ut hoc nomine aula Turcici dominatoris passim nunc designetur.

\*

**Ioci.**

Quidam, quos inter erant et presbyteri et regulares, docte disserebant de causa, et causis, quibus longaevi prae ceteris ii praesertim videntur, qui aliquo *religionis* ministerio funguntur, prout in tabulis, quae *statisticae* nuncupantur, apparent. Multa quidem acute, multa etiam belle dicta sunt, honorifice multa. Et parabantur iam plura, cum repente medicus quidam assurgens, obstupentibus reliquis: — Heus vos! — conclamat — pergite ultro, si lubet in senectam et senium; saeculum autem nunquam, nisi vosmetipsos ipsi destruat, contingere poteritis. — Paradoxum praefere visum est; hinc omnes ore uno explanationem rei quaerere.

— Medius-fidius! — inquit ille — et non intelligitis? Si saeculum tetigeritis, si superaveritis, iam nec *regulares sacerdotes*, iam nec *presbyteri* eritis, sed *saeculares*. Videte nunc prositne vobis *apostata fieri!*

P. d. V.

**Desclée, Lefebvre & Soc.**  
LIBRERIA CATTOLICA INTERNAZIONALE  
ROMAE - Via S. Chiara, 20-21 - ROMAE

H. GRISAR

## Storia di Roma e dei Papi nel Medio Evo

(Traduzione dal tedesco)

Pars I (Tria Volumina):

ROMA SUL FINIRE DEL MONDO ANTICO

Veneunt Lib. 20

**T. G. FRATRUM PARISI**  
**CANDELARUM AD SACRA OPIFICIUM PRAEMIIS INSIGNE**  
AB ANNO 1829 CONSTITUTUM  
Romae in Italia, in Foro Campi Martii, 6

Singulis in artium recognitionibus publice habitis maxima relata munera.

*Leo PP. XIII honores addidit.*

Lateranensi Archibasilicae, itemque Vaticanae, quoties de Beatificatione aut de Canonizatione solemne sit, suppeditat.

Praecipua Templa cereis instruit ubique terrarum. In Asiam, Africam et urbem Constantinopolim mittit ingentia rerum huiusmodi pondera, pretio **francs 180** pro singulis 100 Chilogramm.

Si vero ab America aut ab Australia petantur onera (300 Chilogramm. **ad minimum**), pretium erit **francs 250** pro 100 Chilogramm.

*Nullo impendio iubentium res in proximiorum a petentibus designatum portum defertur.*

Gratis pariter, quae mittuntur, arca asservantur - Cuius quaerenti explicatio erit uberior.

## PHILIPPUS VITI EQUES MARMORARIUS

ROMAE - Via Alessandrina, N. 51 e 52 - ROMAE

AFFABRE SCULPIT QUAE SUNT

AD SIMULACRA, ALTARIA, SACELLA  
AEDICULAS

uti patet ex operibus erectis ac reffectis  
in Basilica Lateranensi,

Liberiana, Laurentiana extra muros, Transtiberina,  
Eudoxiana, etc.

## LE LAUDI LATINE E IL CANTICO DEL SOLE DI SAN FRANCESCO D'ASSISI

S. Maria degli Angeli, presso Assisi, tip. della Porziuncola, 1897

Hoc libello praeter venustam praefatiunculam a Paulo Sabatier, viro rei longe peritissimo conscriptam, continentur *laudes latinae* cum interpretatione italica, *Canticum Solis*, necnon illa *Speculi perfectionis* capita, quae *Cantici* originem exponunt, aliaque permulta. Libellum, quem proxime alii subsequenter ad parvam *Bibliothecam Franciscanam* comparandam, **Iulius Salvadori**, litteris tradendis doctor egregius, maxima edidit cura. Romae apud commentarii *Vox Urbis* Administrationem venit L. 0.50, in pauperum levamen.

**FIGURAE URBIS ROMAE**  
ARTE PHOTOGRAPHICA EXPRESSAE  
COLLECTIONES VARIAE ET NUMERO ET PRETIO  
*Veneunt apud comm. VOX URBIS Administratorem.*

**URBIS E IANICULO MONTE PROSPECTUS**  
(m. 1.10 x 0.24)

qui sociis commentarii VOX URBIS dono datur,  
venit singillatim L. 2.50

*apud comm. VOX URBIS Administratorem.*

SI QUIS PLURA REQUISIVERIT HUIUS PROSPECTUS EXEMPLARIA  
EA MINORI ACCIPIET PRETIO.

*Nuperrime prodierunt*  
**CONSTITUTIONES LEONIS XIII**  
SUPER  
**IUBILAEUM UNIVERSALI ANNI MDCCGCC**

COLLECTA EDIDIT, QUIBUSDAM ADNOTATIONIBUS ADDITIS  
IN COMMODUM PRAESERTIM CONFESSARIORUM

**THOMAS ARIZZOLI**

Missionarius Apostolicus Imperiali, S. Poenitentiarum officialis.

Ven. lib. 1

*apud commentarii VOX URBIS Administratorem.*

*Pro sociis comm. Vox Urbis Lib. 0.50*

**VOX URBIS** DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS  
ROMAE - Via Alessandrina, 87.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Doct. MACÉ. *Utilité des études greco-latines.*

ARNALDO BONAVENTURA. *La poesia neo-latina in Italia dal secolo XIV al presente - Saggio e versioni poetiche.* Edid. Tiferni S. Lapi, 1900.

La situation religieuse aux États-Unis. *Illusions et réalité*, par JULES TARDIVEL - Ed. Societas S. Augustini, Insulis, an. MCM.

ALOISIUS DANIELI. *Parochialis methodus instruendi pueros primis Christianae Fidei veritatibus* - Ed. Romae Desclée, Lefebvre et Soc., 1900.

Can. SANZIO SANZI. *Il regno di Cristo nel passato, presente e futuro della vita della Chiesa secondo l'Apocalisse* - (Vol. 2). Ed. Romae Desclée, Lefebvre et Soc., 1900.

G. BONAVENTIA d. C. d. G. *Manuale di preghiere per la visita alle quattro Basiliche* - Seconda edizione accresciuta d'istruzioni pratiche per l'acquisto del Giubileo - Romae ed. Desclée, Lefebvre et Soc., 1900.

Massime eterne di S. ALFONSO MARIA DE' LIGUORI - Edizione compendiata da altra riveduta sulle opere originali del Santo Dottore per cura dei PP. Redentoristi di Roma - Romae ed. Desclée, Lefebvre et Soc., 1900.